



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 126. Eboracensis Dux se Regem Angliæ proclamat

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. nuntio una cum Eduardo Filio suo, ac
 A.C. 1459. Sommerfeto Duce Dunhelmum aufugit.

§. CXXVI.

*Eboracensis Dux se Regem Angliæ
 proclamat.*

Eboracensis Dux vix prosperum proelii
 successum comperit, dum confestim
 relicta Hibernia, ubi tum agebat, oppor-
 tune Londinum contendit, Senatui,
 ad hanc urbem accito interfuturus.
 Urbem ergo ingreditur Regiis insignibus
 ornatus, & militum turma stipatus, cui
 quoque armiger strictum enses præsefe-
 rebat, buccinis undique resonantibus.
 Habitationem sibi selegit Vestmonasterii
 in illa palatii regione, quam olim Rex
 tenuit, qui interea in Reginae cubiculo
 captivus detinebatur. Demum Eboracensis
 Henrico Rege nequidem prævie
 salutato, Senatum ingressus, orationem
 habuit, qua se Regni solium ambire haud
 obscure indicabat, „ nostis omnes, in-
 „ quit, quam inique Majoribus meis ere-
 „ ptum fuit solium, quod hodie dum con-
 „ scendo, nec etiam vos latere arbitror,
 „ quanto scelerum fulcro innixi regnum
 „ meum invaserint illi, qui illud per se-
 „ xaginta omnino annos usurparunt.
 „ Henricus enim hujus nominis quartus
 „ Richardi II. sanguine manus suas pol-
 luit.

„ luit. Henricus V. Patrem meum tru- Sæcul. XV.
 „ cidavit. Nolo ultra refricare memo- A. C. 1459.
 „ riam eorum, quibus facile commota
 „ mens rursus ad vindictæ desideria
 „ nondum plene extincta accendi posset;
 „ ego autem bonum publicum jam du-
 „ dum privatæ ultioni prætulî; quam-
 „ diu enim Lancastrienses duntaxat me
 „ meosque divexabant, injurias nostris
 „ illatas abunde reparatas censui per
 „ ipsam gloriam, quam hæc familia Na-
 „ tioni acquisivit, necnon per amplas
 „ æque ac divites Provincias, quas ea-
 „ dem Angliæ imperio adjunxit. Haud
 „ ægre ferebam, me Regem non fuisse
 „ salutatum, quamdiu cernebam, quod
 „ vobis talis præesset Rex, qui regio
 „ scepro dignus erat, quamvis jus ad
 „ illud non haberet. Verum ubi hodie
 „ imbellis ille felicitis hujus usurpatoris
 „ hæres coronam mihi eripit, & Provin-
 „ cias tam copioso sanguine partas avel-
 „ lit, indignus forem illius sanguinis,
 „ qui per tot tantosque Reges transfu-
 „ sus in venis meis ebullit, nisi & ipse
 „ diadema mihi vendicarem, ut rursus
 „ victoriarum cursum prosequar, quem
 „ illi feliciter inceperunt. Vestram
 „ igitur opem imploro, ac mecum sce-
 „ ptri onera portate, vicissim vero vobis
 „ cum regiminis commoda partiri desi-
 „ dero.“ Omnibus clare perspectum erat,

R r 3 totam

Sæcul. XV. totam hujus sermonis summam eo colli-
 A. C. 1450 mare, ut Senatus Henricum solio detur-
 baret, Ducemque subrogaret.

§. CXXVII.

*Henrico Regis nomen, Eboracensi jus
 successionis a Senatu adjudicatum.*

Polyd. ibid. Quid in hoc rerum cardine agendum,
 diu multumque deliberatum est, &
 jamjam Senatorum nonnulli in eo erant,
 ut Henricum IV. contra Eboracensis fa-
 miliæ jura sceptrum usurpasse, ac Henri-
 cum VI. ejusdem Nepotem exauctorand-
 um pronuntiarent, nisi residuus misera-
 tionis sensus, vel regalis Majestatis reve-
 rentia sententiæ rigorem temperasset.
 Quare Congregatorum unus componen-
 dis hisce controversiis mediam proposuit
 viam, quæ ab Eboracensi quantumvis Vi-
 ctore haud rejici, a Rege autem captivo
 beneficii loco haberi posset. Nimirum:
*Henricus, quoad viveret, Rex esto; cum obie-
 rit, Richurdus Dux Eboracensis succedito
 una cum liberis suis, Eduardo Walliæ Prin-
 cipe excluso.* His, in quibus rei cardo ver-
 tebatur, ita compositis, reliqua facile ex
 communi omnium voto dirimebantur;
 quare solemnis decreta est supplicatio,
 cui & ipse Rex interfuit regia chlamyde
 ornatus. Ejusdem latera stipabat Ebo-
 racensis Dux in successione regni proxi-
 mus.